Præceptum Gisulphi Ducis Beneventani

II N nomine Domini Dei æterni. Conceſsimus nos Dnus vir gloriosus **Gisulfus** summus Dux Beneventi Longobardorum Gentis, in ven: Monasterio S. Vincentij Martyris quod situm est in finibus Samnij territorio Beneventano, super fontem Vulturni fluminis, ubi vir venerabilis Ato regimen tenere videtur, Ecclesiam Sæ Dei Genitricis Mariæ in Loco sano, cum omnibus suis pertinentijs, qualiter à Dnâ Theodorada constitutum est cum omnibus finibus superius, vel inferius, terris, montibus, vallibus, planitiebus, silvis, pratis, pascuis, campis, vineis, aquis, aquarum decursibus, ripis, molendinis, piscationibus, casalibus, servis, et ancillis: Ecclesiis videlicet, Bocalano, Ecclesia S. Mariæ, Ecclesia S. Potici in felecta, Ecclesia S. Felicis, Ecclesia S. Martini, in Pesano, Ecclesia S. Annæ, et cum omnibus quæ dici, aut nominari poſsunt. Concedimus etiam ut illi homines qui super terram ipsius Ecclesiæ ordinati fuerint ad laborandum, nullum publicum servitium facere alicui, nisi eidem Sº Monasterio. Concedimus quoque, et confirmamus eidem sacro Loco, ut pars ejus habeat licentiam facere molendina in fluvio

Calore